



Hannonis Carthaginensium ducis Navigatio : qua maximam Libycae orae partem ultra Herculis columnas lustravit

<https://hdl.handle.net/1874/451845>

qec

HANNONIS
 CARTHAGINENSI
 VM DVCIS NAVIGATIO,
 QVA MAXIMAM LIBYCAE ORAE PAR-
 tem ultra Herculis Columnas lustrauit:
 è Græco sermone in Latinum, Con-
 rado Gesnero interprete, nūc
 primum conuersa.

ADIECTA SUNT ETIAM
Scholia.



FIGVRI EXCVDEBAT AN-
 draeu Gesnerus. F. Anno M. D. LIX.

REANNOUIS

CARAVAGNINI

VM... NAVIGATIO

... HAVANA ...

... in ...

... in ...

... in ...

... in ...

...

...

... in ...

... in ...

INCLYTO GENE-
RE ET VIRTVTIBVS VIRO
IOANNI DV CHOVL, CON-
RADVS GESNERVS,

S. P. D.



*V*M HIS diebus patruelis me-
us Andreas Gesnerus, Ioannis Le-
onis Africam suis typis cuderet:
eiq; auctarium aliquod nouum
à me addi contenderet, nec ocius
ad maiora mihi suppeteret, subito Hannonis Na-
uigationem, qua is maximam Libycæ orâ partem
lustrauit, dieculâ ferè opera, Latinam feci, & si-
mul Scholia quædam, nimis quidem festinan-
ter conscripta, adieci. Hunc verò tantil-
lum libellum, vir inclyte, in præstantiæ tuæ no-
men veluti tutelare inscribere, non dubitavi:
quòd non tam quid aut quantum daretur, ut vul-
gus hominum solet: quàm quis & quo animo da-
ret, quæ eximia bonitas & prudentia tua est, spe-
Etaturum te egomet mihi facile secureq; promit-
terem. Accipe igitur, quicquid hoc & quantu-
lumcunque est libelli, meæ erga te obseruantia pi-
gnus perpetuæ, & amoris monumentum summi.
Quòd si pro suauissima humanitate tua, quam

4
multis & varijs virtutibus conuiuisti, eruditio
ne verò multiplici confirmasti, boni hoc munu-
sculum consulere dignaberis, & obstringentē se
tibi hoc arrhabone animū placidē admittes, plu-
rimum gaudebo: & maius etiam aliquid olim si
fata sinant, in tuam gratiam meditabor. Interim
his ut fruaris, & si quid emendandum foriē de-
prehenderis, quā liberrimē admoneas cupio.

V ALE cum magnifico amplissimoq; viro.
GVILIELMO DV CHOVL, regio senato
re, & Allobrogum præfecto: cuius incompara-
bilis doctrinæ ac diligentia lucubrationes, par-
tim iam vidi, partim summo desiderio expecto,
& mecum omnes cultioris literaturæ stu-
diosi: quemadmodum etiam tuas.

Iterum V ALE quā fe-
licissimē, & me
ama.

TIGVRI HELVETIORVM VRBE PRIM
ria tertio Calend. February. Anno Salu-
tiferi partus M. D. LIX.

3

HANNONIS CAR-

THAGINENSIVM REGIS NA-

VIGATIO, QVA LIBYCAM ORAM

ultra Herculis columnas lustravit: in aede Sa-

turni ab eo dedicata: ex Græco ser-

mone in Latinū Conrado

Gesnero interprete.



LACVIT Carthaginensi-

bus ut Hanno nauigaret ex

tra columnas Herculis, & *urbes*

LIBYPHÆNICVM *o*

conderet. Nauigauit igitur

& classem nauium sexaginta, quarum sin-

gulæ remis quinquaginta agebantur, se-

cum abduxit. ijs magnus hominum nu-

merus, uirorum & mulierum ad triginta

millia, & annonæ, & apparatus uarius ue-

hebantur. Postquam autem soluimus, &

extra columnas biduum nauigando con-

sumpsimus, primâ à nobis conditâ ciuita-

tem THYMIATERIVM nominauimus:

huic ampla planicies subiecta erat: inde

ad Occasum prouecti (rursus) ad SO-

LVNTEM Libyæ promotoriū arbori-

bus opacū cōuenimus, ubi cōdito Neptu-

ni delubro, rursus ad Orientem dimidij

diei nauigatione conuersi, in stagnum

8
non procul à mari distans, multis & magnis arundinibus refertum peruenimus: in quo elephanti & aliæ feræ permultæ pascebantur. Tum hoc stagno ad iter diei præterito, ciuitates maritimas condidimus: quarum hæc sunt nomina, CARI-
CV Smurus, GYTTE, ACRA, MELISSA & ARAMBYS. Inde solutis nauibus ad LIXVM flumen magnum appulimus, quod è Libya fluit. Iuxta id Nomades (.i. pastorales homines) Lixitæ, sua pecora pascebât: quibus cū amicitia inita aliquã diu mansimus. Supra hos terrã incolebât Aethiopes inhospitales, quorum regio feris referta est, & montibus magnis intercepta, è quibus Lixum profluere aiunt: & montes illos inhabitari à TROGLO-
DYTIS peregrinæ formæ hominibus: quos uel equis cursu perniciores Lixitæ nobis esse narrabant. Acceptis deinde interpretibus à Lixitis, oram desertam ad meridiem bidui itinere legebamus: inde ad orientem unius diei cursu nauigauimus, & in sinus cuiusdam recessu insulam paruam deprehendimus, stadiorum quinque ambitu: in qua habitatores reliquimus, & CERNEN nominauimus. Eam in-
nita

nita nauigationis ratione recta Cartha-
gini oppositam essei cōiiciebamus. Naui-
gatio enim à Cathagine ad Columnas, &
à Columnis ad Cernē respondebat. Hinc
uenimus in stagnum magno flumine tra-
iecto, quod Chretes appellatur. id stagnū
insulas tres amplectebatur, maiores q̄
Cerne. Ab ijs nauigatione diei interiore
stagni recessum attigimus: ibi stagno mō-
tes maximi imminebant, syluestribus ho-
minibus inhabitati, pelles ferinas indu-
tis, qui lapidum coniectu nos repulso e-
gressu prohibuerunt: Exinde nauigando
ad alium amnem, magnum latumq̄, Cro-
codilis & equis fluuiatilibus plenum de-
uenimus. Tum retrogressi Cernen repeti-
uimus. Et ab ea meridiem uersus per duo-
decim dies oram præteruecti, (quam uni-
uersam Aethiopes tenebant: pauidi & a-
spectus nostri impatientes, lingua autem
nostris etiam interpretibus Lixitis inco-
gnita utebātur,) ultimo tandem (hoc est
duodecimo) die ad magnos & syluosos
montes appulimus. syluę constabant ar-
boribus, quarum lignum odoratum &
uarium erat. His montibus bidui nauiga-
tione circuitis, in immensum maris hui-

8.
tum incidimus: ad cuius alteram partem
continenti adiunctam, campus patebat:
è quo noctu ignes ex omnibus locis per
interualla emicare cernebamus, alios ma
iores, alios minores. Illic aquati, antror
sum per dies quinque iuxta litus perre
ximus, donec sinum ingentem, quem in
terpretes HESPERV CERAS (id est, ue
speri cornu) uocabant, contigimus. In eo
insula erat magna: & in ipsa insula lacus
marinus: in quo rursus insula alia. In hæc
progressi, interdiu aliud præter syluam
nihil uidebamus, noctu uerò ignes mul
tos ardentis: & uoces tibiaram, sonos
cymbalorum, ictus tympanorum, & cla
morem innumerum audiebamus. Qua
mobrem territi, cum uates quoque insu
lam deserere nos iuberent, celeriter (è si
nu illo) euecti, Thymiamatum regionem
ignitam legebamus: à qua torrentes ignei
in mare exundabant. nimium eius terræ
estum, calcantium uestigia non ferebant.
Itaque ab hoc etiam loco ocyus recessi
mus: & quadridui navigatione prouecti
noctu terram fluminis plenã uidebamus.
apparebat autem in medio excelsus qui
dam & cæteris maior ignis, ipse ut uide
batur,

batur, astris contiguus: eratis, ut interdū
cernebamus, mons maximus, THEON
OCHEMA dictus. Inde triduana nauiga-
tione, igneis torrentibus præteritis, sinū
offedimus NOTV CERAS (id est Austri
cornu) nomine, in cuius intimo recessu
insula erat, similis prædictæ: quæ & lacum
similiter cum alia insula, hominum natio
ni syluestri frequētata, continebat. erant
autē multò plures uiris mulieres, corpo-
ribus hirsutæ: quas interpretes nostri GO
RILLAS uocabant. Nos persequendo ui-
rum capere ullum nequiuimus: omnes e-
nim per præcipitia, quæ facile scande-
bant, & lapides in nos conijciebant, eua-
ferunt. Fœminas tamen cœpimus tres,
quas, cū mordendo & lacerando abdu-
cturis reniterentur, occidimus: & pelles
eis detractas in Carthaginem retu-
limus. neq; enim ultrà nauig-
auimus, cū annona
deficeret.

FINIS.

IN EVNDEM LI
 BELLVM EXTEMPORANE.
 & quædam Annotationes,

IN TITVLM.

DE HANNONE.



ANNO APVD PLINIVM
 & alios ferè Latinos scriptores aspiratur.
 Greci non aspirant, forte propter regulam
 Grammaticorum, qui æ. ante v. leuigan-
 dum præcipiunt, præterquam in cæv dæ-
 vo, quoniam id fiat ab ἠδω: quod nos in Grecis vocabulis
 admittimus, in Ebraicis & aliarum linguarū non item.
 quoniam Punica lingua, sicuti totius ferè Africa, ut Ioan-
 Leo Africanus testatur, ab Ebraica originem duxit, Han-
 non autem Hebræis gratificari significat: inde Hanno deri-
 uatum conyicio, & significare gratiosum: vel potius qui
 alijs gratificatur, beneficium, εὐεργετῆρ: (Hannan qui-
 dem viri nomen non semel in sacris libris legitur.) & Han-
 nibal, id est, gratiosus princeps, (vel dominus castrorum:
 nam hanah Ebrais metari aut tenere castra significat, ut
 doctissimus præceptor meus me admonuit.) & Annas
 dempta aspiratione: & Iohannes, vel Ananias, id est,
 Deo gratus, quod Græcè Θεοφιλὺν sonat. Quamobrem
 non laudo Potani sententiã, qui his vocabulis non aspirare
 mausult. Αὐκωὸς (perperam pro Αὐκωὸς) πλάυει,
 leguntur apud Athenæum libr. 3. in mentione citrei ma-
 hi: ἰσθαί (inquit) Μαυρυσίων rex, citrum tradit ab A-
 fra

fr̄is vocari malum Hespericum: sed deletetur ille Libycis
 libr̄is & erroribus Annonis: (tanquam in istis innotata
 quadam Græcis vocabula contineantur.) Annus (Av-
 vos) quidam Aegyptius clibanum inuenisse dicitur: unde
 ortum est prouerbum: Annus clibanū, de ijs qui noui ali
 quid inuenissent, author Suidas. Hanno Carthaginensis,
 Philippi Macedonis temporibus. qui Carthagine priuatis
 opibus potens, regnum adfectans: & in filia nuptijs prin-
 cipes ciuitatis veneno necare, prodito à ministris consilio,
 frustra cogitans: alia adgressus via seruitia concitat, qui-
 bus incautam urbem opprimat: quo etiam ciuibus prouiso
 ac vitato periculo, ipse demum in castellum munitum sese
 recipiens, Afros Maurorumq̄ regem armauit. Captus po-
 stremo, ac primum virgis cæsus, deinde effossis oculis, &
 manibus cruribusq̄ fractis, cruci adfixus est: ac in cogna-
 tos omnes etiam animaduersum. Ex Trogo libro 12.
 Hannon item Carthaginensis alius Agathocli cum trigin-
 ta millibus Pænorum obuinus factus, conserta pugna occisus
 est, Trogus libr. 22. Hanno factiennis Braechina, qui cum
 optima consuleret Carthaginensibus de pace, nequaquam
 exauditus est. Author Livius lib. 1. & ultimo de bello Pu-
 nico: apud quem prudentissimas orationes huius & Af-
 drubalis legere licet. Ανωπ' λεοῦ τὰ εἶς σκευα γο-
 γοῦ: Aelianus de animalibus lib. 5. c. 39. hoc est Anno
 Leonis opera ad ea qua vellet vehenda usus est. Idem
 Variorum lib. 14. cap. 30. quo pacto Anno Carthaginensis
 pro deo venditare se voluerit, (quam plurimis ausibus do-
 mi institutis ut nihil aliud sonarent, quam Anno est deus,
 & postea dimissis: sed frustra cum illa libertate recepta
 ad naturalem cantum redirent,) tradit. Primus homi-
 num Leonē manu tractare ausus, et ostendere mā sue factū.

Hanno è clarissimis Pœnorum traditur damnatusq̄ illo ar-
gumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis
ingeny videbatur: & male credi libertas ei, cui in tantum
cessisset etiam feritas, Plinius libro 8. cap. 16.

Ad libellum presentem veniamus: cuius conditorem
esse Hannonem Carthaginensem, ut titulus præ se fert, ve-
rissimile est: nam & à Plinio lib. 5. cap. 31. ex hoc commen-
tariolo, ita ut hic leguntur: recitantur quaedam: nempe de
Gorgonum (seu Gorillarū) insulis. Libri verò quinti cap.
1. fuere (inquit) & Hannonis Carthaginensium ducis com-
mentarij, Punicis rebus florentissimis explorare ambitum
Africae iussi, quem secuti plerique è Græcis nostrisq̄, ad a-
lia quaedam fabulosa & vrbes multas ab eo conditas ibi
prodidere: quarum nec memoria vlla, nec vestigium extat.
sic Plinius. Atqui ipse etiam Hanno in hoc libello, vrbes
aliquot conditas à se memorat, interq̄ alias Caricum mu-
rum, cuius etiam Ephorus mentionem fecit: & Melissam,
Hæcat eo quoque proditam, teste Stephano.

Βασιλεύς) regis. Plinius eum ducem Carthaginensi-
um dixit, alibi imperatorem.

Περίπλους) Circūnavigatio vix dicitur Latine. quam
obrem circumloquor, Navigatio qua lustravit oram Ly-
byæ, vel, descriptio aut lustratio oræ Libyæ. Arrianus Pe-
riplum Maris rubri adidit. Saturni quidem illud
templū, in quo descriptio hæc dedicata fuit, (tabula nimi-
rum affixa, tanquam illius beneficio felix suscepta nauiga-
tionis euentus deberetur,) Carthagine fuisse puto.

IN IPSVM LIBELLVM.
Libyphœnices inuenio in Tabulis Geographicis circa
 Carthaginem: quam Phœnices condidisse historie
 produunt.

produnt. Sic & Libya egypty à Plinio dicuntur.

Πεντηκοντόρους) subaudi ναῦς. Phocæenses (inquit Herodotus) Græcorum primi longinquis navigationibus usi sunt. navigabant autem οὐ σπογγύλισι ναυσίν, ἀλλὰ πεντηκοντόροισιν: hoc est, non onerarijs navibus, sed ætuarijs, quæ quinquaginta remis (utrinque scilicet viginti quinque) agerentur, ut Bayseus transtulit. Conjicimus autem facile, quoniam naues sexaginta fuerunt, & quijs vehebantur hominum numerus triginta millia, singulas naues ad homines quingentos una cum annona & reliquo apparatu, continuisse.

Θυμιᾶσιγριον) Stephano Θυμιᾶσιγρία urbs est Libya, sine auctore.

Πρόσ ἑσπέρας) ad occasum, Atqui mihi videtur ambientibus Africam omnis post Columnas navigatio tonuerti vel ad meridiem, vel ad orientem: & postremo ad Aquilonem: nusquam verò ad occasum: nisi aliquoisque tantum vitandi oram et promontoria causa. ἀνὰ γὰρ θαλάσσειον quidem, non modo soluere, sed etiam in altum euehi interpretantur.

Solantis Libya promotorij mentionē apud alios scriptores nondum inueni. eiusdem nominis est urbs Cilicie.

Ἄκρασιγριον) promotoriū, hinc fortè tribus prioribus syllabis ablatis γριον dicitur de vertice montis eminente, κορυφῆ ὄρος ὑπερφαινομένη Eustathio. priuatim tamen promontorium quoddam Aetoliae vocabatur Rhion. id vocabulum hodieq. promontorium puto Hispanis significare.

Ἄσσιον δένδρεσι) opacum vel refertum arboribus. infra simpliciter ὄρη Ἄσσεια dicit: sed mox arborum mentionem subiungit. Plinius Atlantem opacum & nemorosum dixit.

Ἐπιβήμεν) conscensis nauibus nauigauimus. Verbo
ἔπιβῆναι contraria sunt ἐκβῆναι & ἀποβῆναι, qui-
bus infra vititur.

παραλλάξαστες.) Quod Latini dicunt oram vel litora
legere, prateruehi, praternauigare. Vi tuto praterueheren-
tur oram Italia, Linius. Aegina praternauigatio
est XX. M. P. Plinius. Cicero prateruectionem di-
xit. Hanno Græcè dixit. παραμέβειν τὰς σήλας,
παραλλάττειν τὴν λίμνην, παραλεγεῖν τὴν
γῆν, παραμεβεῖναι.

Κατωκήσαμεν πόλεις πρὸς τῆ θαλάττῃ.) lego
κατωκήσαμεν per iota, à verbo κατοικίζω, quod & sim-
pliciter οἰκίζω dicitur: quod condere, constituere, κτίζειν
significat. nam si κατωκήσαμεν legas, ut codex impres-
sus habet, à presenti κατοικέω, quod est inhabito: & in-
terpreteris, inhabitauimus ciuitates maritimas (hoc est
habitatores eis immisimus: frustra dixerit Hanno superius
ἐκτίσαμεν πρῶτην πόλιν: nam si urbs aliqua prima
ab eis condita dicatur: alias etiam posteriores condi oport-
uit. Et Plinius: Vrbes multas (inquit) ab eo conditas produ-
dere. Consule Ammonium de differentijs vocum in κατ-
οικησις.

Καρινὸν τείχος) vrbs est Libya ad sinistram Colum-
narum Herculis, ut Ephorus scribit. Verisimile autem est
ad hunc locum Cares peruenisse: qui etiam Carico in Mem-
phide nomen dederunt.

De Gytte, Acra & Aramby iam nihil inuenio.

Melissa vrbs est Libya, cuius Hecatæus meminit, Ste-
phanus.

De Lixo vrbe Claudij Cesaris colonia, et eiusdem nomi-
nis amne, multa leges apud Plinium lib. 5. cap. 1.

Βοσκυμῶσα) Vt apud Latinos pecus pro quouis præter hominē animali sæpe usurpatur; aliquando ad mansuetæ contrahitur, et distinguitur in maius ut sunt boues, asini, equi: & minus, ut ovis, capra, sus, apud Varronem, secundum postremam acceptionem pro oue per excellentiam præmitur (sic apud Græcos Βοσκυμῶσα, θρέμματῶσα, Βοτῶσα, & ποίτικῶσα: præcipuè tamen ad oues & capras contrahuntur. Arrianus θρέμματῶσα νομαδικῶσα dixit.

Ἀλλοιομορφῶς) peregrina et nobis inuisitata formæ homines. Plinius his in locis collocat Aegipanas semisferos, & Blemmyas, & Gamphasantas, & Sacyros, & Himantopodas. Et libro 6. cap. 30. multiformes aliquot potest et miras hominū in Aethiopiæ extremis effigies memorat.

Ἡμέρας Δρόμου) verti unius diei cursu vel itinere. ^{ἢ ποτ} nam iter etiā de mari dicitur: et similiter cursus. Prouehimur pelago, vicina Ceraunia iuxta: Vnde iter Italiam, cursusq̄ breuissimus vndis, vergil. 3. AEn. AEquorei cursus, Valerius in Argon. Bannomanna insula abest à scythia diei cursu, Plinius. Vt rursus: Sebosus à Gorgonium insulis dierum xi. ad Hesperides cursum prodidit. Superius pro Δρόμου dixerat πλῆθ' ἡμερας, Plinius navigationem diei. Arrianus in Maris rubri lustratione subinde simpliciter Δρόμου dicit, pro itinere diei (nisi addat ἢ ἡμέρας) tum in mari, tum in terra. alicubi enim Δρόμου ἢ πείρου nominat, alioqui spacium vel terminum eius spacij, quod uno die in terra confici solet, σάθμου Græci, Latini mansionem vocitant. Potest autem id in terra ferè certius esse, quam in mari, ubi propter ventos & alias causas inæqualia admodum itinera redduntur. Ex Arriani indicis colligo Δρόμου communem, & medietatem unius diei navigationem, pro stadys quadringentis

ferè accipi posse. aliàs enim trecenta tantum aut etiam ducenta stadia iter diei facit, aliàs quingenta, ut plurimum ferè sexcenta: alioquando octingenta. longior quidem fit quæ antelucano, vel mox à media nocte inchoarit: ita ut aliquando ad stadia mille sexcenta extendatur.

Ἐπιγυρεὸς) interpretes. Inde conyicimus per totam Africa oram iuxta Mediterraneum mare, usque ad Columnas Herculis, & ultra ad Lixum usque unam esse linguam. demceps verò aliam quandam linguam usurpari: & rursus aliam Aethiopicis illis, qui à Cerne nauigantibus meridiem uersus longissimo ora tractu (duodecim ferè dierum itinere) habitant: quorum linguam ne Lixitæ quidem interpretes intelligebant.

Καὶ (ὡς ἔχει Κέρνυρ) rursus lego καὶ Ἰωνίᾳ αὐτῆς per iota, ut supra: propter eandem causam, & quia etiam ex nomine imposito, insulam illam, hoc est ciuitatem in ea, condidisse videntur. De Cerne plura leges apud Plinium lib. 6. cap, 31. & inter alia, quod maxime huc facit: Nepotem Cornelium prodidisse Cernen ex aduerso maxime Carthagini sitam esse, à continente passus mille, non amplioem circuitu duobus millibus. Alij certè aliam insulam Cernem nominant. Quæ in nostris Geographicis tabulis pingitur Cerne, non Hannonis aut Cornely Nepotis Cerne videtur: multo minus ea, quæ contra sinum Persicum aduersa Aethiopiæ ab aliquibus, describitur: sed Polyby Cerne, in extrema Mauritania contra montem Atlantem, à terra distans stadijs octo. In nostris tabulis Carthagini in ora aduersa opponitur quod vocant Capue formosum: cui vicina est parua quædam insula. sed hic locus Carthagini oppositus à Columnis (in nostris tabulis, bis tantum distat, quantum Columnæ à Carthagine. quam ob

rem non tam procul progressus videtur Hanno: quod ex se
quentibus etiam fluminibus conyicimus: etsi insula hæc pro
pe recessum cuiusdam sinus sit, ut de sua scribit Hanno.
Mihî Cerne in nostris tabulis altius posita videtur, ut Mo
dera recentiorum videri queat: quam ut possit esse Han
nonis Cerne, quæ à Lixo fl. tridui navigatione distat. quæ
rendum an ea potius sit, quæ à nonnullis Erythia putatur,
è regione Vsadj promontorij.

Εὐκαι γὰρ ὁ πλῆς) Similis erat navigatio, pro æ
qualis.

Τὸν τεῦθεν εἰς λίμνην ἀφικόμεθα, διὰ τινος πο
ταμοῦ μεγάλου διαπλευσαντες, Χρεῖης. Locus hic
obscurior est. fluvium forte Chreten nominat: quo (inquit)
traiecto (διαπλῆς proprie traicere est) vel potius, su
perato, (ut διαπλῆς accipiatur pro ἀναπλῆς,) id est
navigatione aduerso fluvio ad superiores eius partes facta,
in lacum maximum incidimus: & inde rursus in alium
peruenimus fluvium. Oportebit igitur ex uno lacu duos
fluvios effluere: quod usquam fieri verisimile mihi non
fit. Χρεῖης etiam nomen nusquam reperio. In tabu
lis Geographorum pingitur his in locis fluvius Stachris è
lacu prodiens: & paulo infra illum Nia fluvius: horum al
teruter fuerit Bambotum Plinij, crocodilis & Hippopo
tamis refertum flumen: quod hic etiam Hanno tradit.
nam Darat amnis, qui & ipse crocodilos gignere à Plinio
traditur, aliquantò superior est.

Μεγιστὸν ὄρη ὑπερετείνε, μετὰ ἀνθρώπων ἀγρί
ων,) pro μετὰ legi potest μεστὰ, id est, pleni.

Απὴραξαρ) verbū est rarū, à presenti ἀπαράσσω,
cum vi, impetu & fragore deturbo, depello.

Ἐπιμεσημβριας) scitè multitudinis numero ponit:

(quāquam superius πρὸς μεσημβρίαν dixit:) sic Plato in Epinomide Δυσμας & ἀνατολάς.

Δώδεκα ἡμέρας τῆν γῆν περὶ λεγόμενοι) In nostris tabulis non tantum spaciū videtur his litoribus tribui.

Περιπλέσαντες δὲ τ᾽ αὖτις) Scrutandi illius orbis gratia circumiectus. Plinius lib. 5. ca. 1. de Polybio. Καὶ ὅσις κόλπος ἐσέχει ἐκπεριπλάσαι τ᾽ ὅτου, Arrianus in Indicis.

Ὀρεσι μεγάλοις διασέσι) Atlantem maiorem hunc esse conyicio: & arbores de quibus loquitur, cedros, quarum materiam Romani expetebant mensis. Inter hunc montem & Hesperion ceras quinque dierum navigatio est. nam & Plinius sic: Traditur & alia insula contra montem Atlantem, & ipsa Atlantis appellata. ab ea quinque dierum navigatione solitudines ad promontorium quod vocauimus Hesperion ceras.

Χασμάσι θαλάττης) maris opinor hiatus immensum vocat, spaciū ipsum maris, superatis illis montibus, longè lateq; vastum apparens.

Ἀποσάσας) διασύματα accipio, interstitia.

Ἐσπερου κέρας) Plinius lib. 5. cap. 1. promontory Hesperij meminit his in locis. & κέρας quidem, id est, cornu propriè videtur promontorium significare. accipi tamen synecdochicè potest pro toto sinu cuius pars est: sicut infra etiam Austri cornu. A promontorio, quod vocauimus Hesperion ceras (inquit Plinius 6. 31.) circumagit se terrarum frons in occasum (ab ortu scilicet progressu facto) ac mare Atlanticum. Ibidem etiam Aethiopes Hesperios collocant. Hunc sinum rubrum puto à recentioribus vocari. Plura lege infra de Notu cornu & c.

Λίμνη θαλασώδης) lacus salinus, aut magnus fortē
 & speciei maris.

Γυρά τε πολλά κειόμενα) Rarum est nomen πυ-
 ρόν, τὸ quod tamen in Lexico vulgari quidam interpreta-
 tur rogum, astitum, nec citat authorem.

Καὶ φωνῆν ἀνὰ ἄνδρ' ἠκούομεν) Plinius hæc et huius-
 modi de Atlante monte scribit, li. 5. cap. 1. noctibus micare
 crebris ignibus. Aegipanum, Satyrorumq̄ lascivia, impleri
 tibiæ ac fistula cantu, tympanorumq̄ & cymbalo-
 rum sonitu strepere.

Thymiamatum regionis hoc in loco mentionem apud
 alios non reperi.

Ἡλιβάτος ποῖτις excelsum significat, & propriè de
 montibus ac rupibus inaccesis, per syncopen pro ἠλίσόβα-
 τος (sicut & ἠλίσόμηνος vel ἀλιτόμηνος dicitur sæ-
 tus &c.) ἀπὸ τῆς ἀλίσεως, ὅτι ἐστὶν ἀπὸ τοῦ χεῖρ τῆς βάσε-
 ως. Minus probantur qui aspirant tanquam vocabulo à so-
 le composito, ἀπὸ τῆς εἰς τὰ ὑψηλὰ πρῶτα τὸν ἠλιον
 βαίνειν.

Θεῶν ὄχημα). i. Deorum vehiculum. Apparet nomē
 hoc factū huic moti propter altitudinem. quoniā ignis ab
 eius vertice emicans noctu, ipsa sidera attingere videba-
 tur. Lege Pliniū lib. 2. cap. 106. & lib. 5. cap. 1. Idem lib.
 6. ad finem capitis 30. A media (inquit) Aethiopiae par-
 te imminens mari mons excelsus, æternis ardet ignibus,
 Theon ochema dictus Grecis: à quo nauigatio quatridui,
 ad promontorium quod Hesperionceras vocatur, confine
 Africa iuxta Aethiopes Hesperios. Quidam & in eo tra-
 ctu modicos colles amœna opacitate vestitos Aegipa-
 num Satyrorumq̄ produnt. Hic autem pars eius esse vi-
 detur, qui Deuchis mons appellatur in nostris tabulis, no-

vine etiam vicini quasi Theuochis: à quo non multum
 astat qui Iouis mons dicitur.

Νότον κέρας) Lege supra ubi de Hesperio cornu dixi-
 mus. Coniecerim equidem Cornu hoc Austrum, cuius apud
 alios mentionē non inuenio, esse quod hodie Caput formosum
 appellatur, Carthagini ferè è directo oppositum. illic enima
 angulus & sinus ingens est, Africa in Austrum se pro-
 tendentis: & ys qui non procul litoribus discedunt, sine
 per terram siue per mare iter, subito illic in Austrum re-
 ctà conuertitur: ut à principio conuersionis ad Austrum
 ab occasu nauigantibus uia dictum sit. Hesperium uero cor-
 nu, contra: quod ab ortu uel nauigantibus uel cōtinentem
 & litora sequentibus, extrema hæc terrarum ad Occiden-
 tem pars sit. Hic etiam Gorgonum insulas à veteribus col-
 locatas uerisimile est: & errasse Plinium, cum scribit: Con-
 tra hoc promontorium, quod Hesperionceras uocauimus,
 Gorgades insula narrantur, Gorgonum quondam domus,
 bidui nauigatione distantes à Continēte, ut tradit Xenophon
 Lampfacenus. Penetrauit in eas Hanno Pænorum impera-
 tor, prodiditq; hixta fæminarum corpora, uiros pernicitate
 euasisse: duarumq; Gorgonum cutes argumenti & miracu-
 li gratia in Iunonis templo posuit, spectatas usq; ad Cartha-
 ginem captam. Ultra has etiamnum duæ Hesperides insu-
 la narrantur. adeoq; omnia circa hæc incerta sunt, ut
 Statius Sebosus à Gorgonum insulis præ nauigatione (fortè
 præternauigatione) Atlantis dierum x l. ad Hesperidum
 insulas cursum prodiderit: ab ys ad Hesperionceras, uenit.
 Nec Mauritania insularū certior fama est. Sic ille. Appa-
 ret autem eum uel ex eo quod Hannonē citat, & quedam
 eius uerba interpretatur, (is Gorgones Gorillas uocat,) in-
 sulas earum ad Hesperionceras, non rectè retulisse: cum
 ad

ad Notium referat Hanno. Sed aliquis ociosior hac diligentius considerabit. Circa hoc promontorium quod recentiores Formosum cognominant, aliqui in Tabulis hominem monoculum pingunt innuentes nimirum hic sedem fuisse Gorgonum. has enim aliqui cum Graeis confundunt, quibus fabulosa antiquitas, cum tres essent, oculum unicum omnibus communē attribuit. aut fortē alludentes ad gentem illam de qua Plinius libro 6. capite 30. Ad Occidentem (inquit) Aethiopia Nigræ, (Νιγροι:) quorū rex unum oculum habeat in fronte. Paulo ante autem sic: Regio supra Sirbitum ubi desinunt montes, traditur à quibusdam, habere maritimos Aethiops, Nisicastes, Nisitas: quod significat ternū & quaternū oculorum viros: non quia sic sint, sed quia sagittis præcipua contemplatione utantur. Gorgones equidem à terrore dictas putarim, (gor.n. Hebraei, quorum lingua affinis est Aethiopica, timere significat:) siue quod ipsæ timidae essent, & mox visis hominibus diffugerunt: siue alijs aspectu terribiles, utpote hirtæ. hinc & terribilem visu, halitusq; pestilentes, apud Hesperios Aethiopes, feram Gorgonem appellarunt, quam alij Catoblepam.

Κρημνοβάται) eosdem ἠλιβάταισ dixeris.

Τοῖς μετρίοις) repono πέτροις, sicut & supra legitur.

N I N I S.

1753077



